













1706.

1. Hertius, Joh. Nicolaus: De pignore conventionali  
facto.
2. Mollenbeccius, Bernh. Ludovicus: De aggravatione  
judicis jure aggravandi destituti.
3. Hutnerus, Johannes: De responsis mercatorum,  
vulgo parere dictis
- 4<sup>a, b, c</sup> Weberus, Immanuel: De contractu vitalitatis,  
quo alimenta ad dies vitae comparantur.  
3 Semst. 1714, 1717 & 1750.

1707.

- 1<sup>a, b, c</sup> Golmannus, Melchior Dithmarus: De epistola  
hominis ultima 3 Semst. 1707-1753
- 2<sup>a, b, c</sup> Golmannus, Melch. Dithmarus: De operatione  
liberorum mutatione.

3. Mollenbecius, Bernhardus Ludovicus: *De subsidio  
charitativo liberorum et immediatarum imperii  
nobilitate*
4. Sahné, Reinhold Frider: *De jure numeri septem-  
nerii*
5. Schels, Werner Francisc. Conrad: *De jure circa  
cautelam socii*
6. Sinnermann, Francus Adamus: *De sponsatione  
conditionata*
7. Valentini, Michael Bernhardus: *De novellarum  
publicarum usu et abusu in rebus physico-mediceis*
8. Weberus, Hermannus: *De Rudolpho II, imperatore  
Romanorum semper Augusto.*
9. Weberus, Hermannus: *Antiquitates Antivir-  
examini distat.*



dis  
rii

10. Weberus <sup>✓</sup> *Inventum & De erud. Lib. Hammie*  
*principibus.*

te-

ca

scis

23



7418 Blumen / de p. 1000000000

*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely German, covering the majority of the page.]*





DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE 1706 3 379

# RESPONSIS

MERCATORUM, vulgò

PARERE DICTIS,

QUAM

*PRÆSIDE SOLO DEO*

*E X*

DECRETO MAGNIFICI

JURISCONSULTORUM COLLEGII

*IN CELEBERRIMA LVDOVICIANA,*

PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONO-

RIBUS AC PRIVILEGIIS

DOCTORALIBUS,

RITE CONSEQUENDIS,

*IN AUDITORIO SOLENNI*

PLACIDÆ

EXCELLENTISSIMORUM PROCE-

RUM ACADEMICORUM DISQUI-

SITIONI SUBMITTIT

JOHANNES SLUTERUS

HAMBURGENSIS,

AD DIEM VII. SEPTEMB. ANNO M DCCVI.

*GISSÆ HASSORVM*

Exeud. JOHANNES REINHARD. VULPIUS, Acad. Typ. Ord.

*Jo. Sluterus  
responsa mercatorum*





DE  
RESPONDIS  
MERCATORUM  
PARERE DICIT  
PRÆMIUM SVO DEO  
EXCELLENTISSIMORUM PROC  
JHANNES SHILLERUS  
AD GRAM. 1714. ANNO. 1714.  
HABITATIONE  
STATION. SIBIT. III  
SVM. ACADEMICORVM DISOVI  
EXCELLENTISSIMORUM PROC  
M. ADIUTORIO JOHANNI  
DOCTORALIBUS  
RITUS AC ERVIT. III  
TIO SIVMS IN HICRQV. PHE. HICD  
IN. CETERA MAN. LIND. MAN  
HICRQV. HICRQV. HICRQV.  
TIO. O. MAN. HICRQV.





I. N. D. A.

PROOEMIUM.

**D**E argumento Dissertationis cogitantibus imprimis cura solet esse, ut tale eligant thema, quod raritate pariter ac dignitate suâ se commendat.

Idem animo volventi mihi vix aliud sese offerebat, quàm quod in presenti sisto, De Responsis mercatorum, vulgò parere dictis. Alitum enim de hac materia apud Ictos, etiam illos, qui de rebus mercantilibus ex professo egerunt, reperies silentium; nisi quod D. Marquard. in libro de Jure mercatorum ejus, sed verbo tantum, mentionem fecerit. Qui verò in indolem s. naturam verumq. hujus parere effectum inquisiverit, hætenus videre licuit neminem. Vnde circa thema hoc, arduum non minus ac utile, quippe quod in judiciis quoti-

A 2

die



die praesertim in Emporiis celebrioribus occurrit  
 ingenii quod tamen exiguum est, vires pericli-  
 tati, auctoritatemque horum Responsorum  
 mercantium scrutari opera pretium duxi, non  
 morans opinionem illorum, qui putant speci-  
 men juris edituro incumbere, ut materiam me-  
 ri juris civilis sumat explicandam. Cum enim  
 arctissimum, quo Patria mea inchoata obstrin-  
 gor, vinculum antiquius longè mihi sit horum  
 cerebrinâ opinione pro commodis Reip. cujus  
 civem me gloriore esse, sudare, quàm juris Ro-  
 mani tractationem recoquendo, literato orbi  
 nauseam creare satius putavi. Si qua in par-  
 te, duce vel consilio destitutus (distantia enim  
 locorum non permisit in illis, quae dubia mi-  
 hi videbantur disertissimos Patria Togatos  
 consuluisse) lapsus fuero, veniam ab aequis rerû  
 aestimatoribus peto. Supremi interim rerum ar-  
 bitri adjumentum circa intricatum huncce  
 nodum Gordiû, lectorisq; approbationem sub-  
 misse imploro. Sit itaque

SECTIO





## SECTIO I.

*De usu consuetudinis in curia mercatorum recepta nonnullisque singularibus in eorum foro occurrentibus.*

### SUMMARIA.

- |   |  |
|---|--|
| <p>§. I.</p> <p><b>D</b>E Divisione juris in scriptum &amp; non scriptum.</p> <p>§. II. Lites mercatorum ex observantia loci decidenda.</p> <p>§. III. Divortium Statut. Hamburg. a jure Civili.</p> <p>§. IV. De modo procedendi</p> | <p>in causis mercatorum &amp; singularim de iudicibus s. Consulibus mercatorum, nec non Collegiis maritimis.</p> <p>§. V. Causa mercatorum summariter tractanda sunt.</p> <p>§. VI. Modi consuetudinem</p> |
|---|--|



nem probandi variant.

§. VII. Per Responsa mer-

catorum (probasur consue-  
tudo.)

## §. I.



**D**IVISIO Juris in scriptum & non scri-  
ptum fundata in jure Romano, se-  
cundum quod haur minor juris non  
scripti s. consuetudinis ac scripti vis  
est; cum ratione effectus non diffe-  
rant inter scilicet. 32. §. 1. ff. de Legib. &c.  
c. f. x. de consuetud. Diuturni enim  
mores consensu utentium comprobati legem imitan-  
tur §. 9. 7. de jure N. G. & Civil. add. Venerandus  
Dominus Patens *Tr. de consuetudine legitima Tit. 1. §.*  
*1. locum imprimis sibi vindicat in emporiis & foro mer-*  
*catorum.*

## §. II.

Propter favorem enim commerciorum & frequens  
divortium in causis mercantilibus à jure civili, ob contro-  
versias multas spinosas ad mercaturam pertinentes, v. g.  
Cambiorum, Assurationis, Bodmeria, Haveria, lites  
mercatorum non tam ex regulis juris communis aut na-  
tura contractus, quam observantia istius loci, in quo lis  
moveretur, decidenda sunt. v. D. Marquard. *lib. 3. c. 2. n. 4.*  
Gail. *1. Observ. 36.* add. Sigismund. Scaccia *Tr. de Com-*  
*merc. & Camb. §. 1. Q. 1. n. 316, fol. 58.* ubi ait: à communi  
obser-



*observantia & indubitata mercatorum consuetudine non  
licere recedere.*

§. III.

De Anglorum, Belgarum, Venetorum aliarum-  
que Rerump. Statutis, ordinationibus & consuetudini-  
bus non dicam, cum sat luculentum hujus rei testimoni-  
um præbeant Patriæ meæ inelytæ Leges prudentissimæ.  
Quid quaeso aliud antiquos Reip. nostræ Hamburgensis  
sapientissimos statutorum movit conditores, ut à multis  
juris Romani recesserint dispositionibus, quàm commer-  
ciorum favor, bonique publici respectus? quod indicant  
passim in Statutis v. *part. 1. Tit. XXIV.* ubi dicitur nun alle  
Auszüge und Weisheitigkeit in Schuld- Sachen zu Ver-  
förderung der Handlung und Kauffmanschafft müge ab-  
geschaffet se. *conf. Mey. Comment. ad jus Lubec. lib. 1. tit. 10.  
a. 1. n. 77.* Consuetudines autem observandas esse, doc-  
cent Statuta in Epil. h. v. *Das solche Gewohnheiten diesem  
Stadte Rechte gleich gelten/ und in Erörterunge der streitigen  
Sachen in acht genommen werden sollen.*

§. IV.

Eadem fortè rationes movere Civitatum Rectores,  
ut in quibusdam locis mercatoribus in causis suis commi-  
serint judicandi potestatem. Judices hi, teste Marquar-  
do *lib. 3. c. 6. §. 18.* in tota Europa, Asia, Africa, puta Ve-  
netiis, Genuæ, Neapoli, Livorni, Massilia, Burdegala,  
Hispani, Lisabonæ, Constantinopoli, Aleppo, Cairæ,  
Alexandriæ & Malaccæ, & aliis emporiis, vocantur Con-  
sules, Archiconsules. In Hispania dicuntur Conserva-  
tores. v. *Privil. Philippi III. Hanseat. A. 1607. confirma-  
tum art. 20. 21.* Hanseatici hunc Consulem vocant Al-  
der-



Aldermannum, ut docet Joh. Angel. Werdenhagen *part.*  
*4. de Rebusp. Hanseat. c. 18. p. 1325.* ubi ait: *Collegio præerat*  
*in singulis urbibus Præfectus Senior, quem alii Consulem,*  
*ipsi Aldermannum vocabant. Is cum assessoribus constitu-*  
*bat Senatum mercatorum, habebatque adjunctum sibi Secre-*  
*tarium, Quastorem, Archimagistrum, aliosque necessario-*  
*rum munerum administratores, qui cum Lubecensi Senatu*  
*communicabat res plerasque, ac controversias dijudicabat,*  
*nec dabatur ab ipsorum sententia, nisi ad alias Civitates*  
*Hanseaticas, appellatio.* Apud Venetosunt *li Sopra Con-*  
*soli,* quibus de mercatorum creditoribus, foreve ceden-  
 tium causis demandata cognitio est. v. Joan. Catov.  
 Eques Hierosolymit. *in Synopsi Reip. Venet. c. XIV. p. 301. &*  
*c. IX. add. Crassus not. in Donat. fannot. p. 382.* De magistra-  
 tu negotiationis cambiorum in Rep. Genuensi ejusq; Ju-  
 risdictione & ordine votandi, testatur Sigism. Scaccia de  
*Commerc. & Camb. §. 2. gloss. 4. n. 8. & sqq. p. 333.* Lu-  
 tetiæ Parisiorum dicitur Præfectus mercatorum, vulgò  
*Prevost des marchands, v. les Ordonances de Louis XIV. Roi*  
*de France Tit. 16. de la forme de proceder pardevant les ju-*  
*ges & consuls des marchands.* Apud fœderatos Belgas  
 qua cum gente nulla ferè natio (exceptis Anglis) de nava-  
 lis rei gloria hæcenus admodum auit contendere, con-  
 troversias omnes rei maritimæ inter nautas mercatores-  
 ve extortas *maritima* decidunt *Collegia,* à quorum senten-  
 tia non est locus appellationi, nisi sexcentos florenos cau-  
 sa excedat, inque his sola secunda replicatio (duplicam  
 forensẽ vocant) partibus litigantibus permissa est. In  
 Patria quoque, ne Germanos præteream, marium navi-  
 gationumque libertati etiam integra maritimæ rei præfe-  
 cta



Et collegia (admiralitates vulgo vocant) quotidie consu-  
lunt. Habent ibi Angli judicem suum, regia auctoritate  
confirmatum, quem *Kurmeister* vocant, coram quo con-  
troversia, nationem inter Anglicana ortæ, componuntur.  
Conf. J. Crus celeberrimus Sam. Stryk. *de Cambial. liter. ac-  
cept. c. 5. §. 2.*

§. V.

Utut verò DD. communiter statuunt, causas mercatorum  
non solum summariter, h. e. celeriter & levato velo, ut lo-  
quitur *l. 5. c. de naufrag. cognoscendas*, & in iis proceden-  
dum esse secundum simplicitatem juris Gentium, cum  
cessent hic apices s. subtilitates juris, sed & in primis con-  
suetudinis rationem in causis mercantilibus habendam  
esse doceant; nemo tamen ibi inficias, consuetudinem  
mercatores inter receptam indigere probatione, cum fa-  
cti sit. per *L. 1. ff. de Except. Carpz. part. 2. Const. 3. def.  
22. Cothm. Vol. 3. R. 36. n. 71.*

§. VI.


Solet autem variis consuetudo probari modis, v.g.  
per notorietatem, documenta, retrò judicata, testes in ge-  
nere, excellentes J. Ctos, judices, Advocatos, procura-  
tores; de quibus ordine egit Venerandus Dn. Patens *Tra-  
ctat. de Legisima consuetud. Tit. XI. usque ad fin.*

§. VII.

Variis hisce probandi consuetudinem modis addi  
potest ille, quando mercatores ad facti speciem breviter  
consignatam respondere, deque consuetudine, hoc vel il-  
lo casu inter mercatores recepta, iudicium suum dare &  
testari



testari rogantur, quod instrumentum *parere* vocant. De  
cujus vi ac auctoritate cum non una sit omnium opinio,  
operæ pretium me facturum spero, si quæ hujusmodi re-  
sponſi indoles & veri effectus ſint, cum cura examinabo.



## SECTIO II.

### DE RESPONSIS MERCATORUM vulgò PARERE dictis SUMMARIA.

- |  |   |
|--|---|
| <p>§. I.<br/><b>E</b>Tymologia.</p> <p>§. II. Synonymia</p> <p>§. III. Definitio.</p> <p>§. IV. V. VI. VII. <i>Differen-<br/>tia Responsorum mercan-<br/>tilium ab affinibus.</i></p> <p>§. IIX. Finis.</p> <p>§. IX. Efficiens <i>mercato-<br/>res. An campsores, Proxe-<br/>neta?</i></p> <p>§. X. <i>Quis dicatur merca-<br/>tor?</i></p> | <p>§. XI. <i>Non dant Respon-<br/>sa Propola &amp; Revendito-<br/>res.</i></p> <p>§. XII. <i>Habilitas respon-<br/>dendi consideratur ratione<br/>ætatis.</i></p> <p>§. XIII. <i>Ætas interdum<br/>consideratur ratione an-<br/>norum mercaturæ exerci-<br/>tæ.</i></p> <p>§. XIV. <i>Habilitas consu-<br/>lendi porro æstimatur ra-<br/>tione mercium, loci.</i></p> <p>§. XV.</p> |
|--|---|



- §. XV. Objectum. Pacta, contractus, obligationes ad commercia, tam terrestria, quam maritima spectantes.
- §. XVI. Definitio cambii.
- §. XVII. Quot persone requirantur ad cambium, exponitur
- §. XVIII. Tractat primam questionem cambialem.
- §. XIX. Secundam.
- §. XX. Singularia Stat. Hamb.
- §. XXI. De affecuratione ejusq. definitione
- §. XXII. Quid juris, si periculi premium initio non sit datum?
- §. XXIII. Alia questio
- §. XXIV. De loco à quo & ad quem periculum ab affecuratore praestandum sit.
- §. XXV. Quid si merces transferantur ex una navi in aliam?
- §. XXVI. Haveria
- §. XXVII. Origo vocis Haveria.
- §. XXIX. Ejus definitio.
- §. XXX. De estimatione rerum jactu amissarum.
- §. XXXI. Quis conferre debeat?
- §. XXXII. An conferat cuius res deteriorata.
- §. XXXIII. Illustratur ex Statut. Hamb.
- §. XXXIV. Bodmeria, ejus origo.
- §. XXXV. Definitio.
- §. XXXVI. An in Bodmeria valeat proverbium, qui prior tempore potior est jure?
- §. XXXVII. Quid ea in re Hamburgi observetur.
- §. XXXVIII. XXXIX. Alia questio insignis.
- §. XL. Forma.
- §. XLI. XLII. An jurato debeant dari sponsa mercatorum?
- §. XLIII. An consuetudinis mentionem facere debeant.
- §. XLIV. Non debent testari de jure. Laudantur tamen mercatores eruditi.
- §. XLV.



- §. XLV. *Consultant mercatores juris peritos.*  
 §. XLVI. *Quot requirantur Responsa mercatorum ad probandam intentionem partium.*  
 §. XLVII. XLVIII. XLIX. & L. *Effectus, ubi Quaestiones.*  
 §. LI. LII. *Notatur abusus.*
- §. LIII. *Illustrantur dicta auctoritate.*  
 §. LIV. *Judex non tenetur sequi parere.*  
 §. LV. *Equiparantur consiliis peritorum.*  
 §. LVI. LVII. LXVIII. LXIX. LX. *Recensentur effectus varii parere.*

## §. I.

Cum ex nominum ac verborum notitia ad rerum intellectum paulatim provehamur, liceat in notationem & originem vocis *Parere* paucis inquirere. Non defunt equidem, qui vocabulum hoc Latinae linguae natales debere, & a verbo *patere* deducendum esse putant, cum non raro mercatores in causis suis arbitros eligere inque eos compromittere soleant, quorum laudo stare, aut sententiae parere debeant partes. Inde laudum arbitri a mercatoribus parere appellari existimant. Enimvero vocem hanc talis adscribendam, & ab Italico vocabulo *Parere*, i. e. *videtur*, ortum trahere, nullus dubito. Et haec vocis notatio rem magis exhaurit, naturamque negotii plenius exprimit. Conf. Jacob. Savarius in *Tr. cui tit. Le Parfait Negotiant, in Pref. edit. nov.* ubi de origine vocabuli hujus haec verba: *§. ay intitulé ce livre (novissimae enim editioni de A. 1688. praemisit titulum: Pareres, ou avis & conseils sur les plus importantes matieres du Commerce) Pare-*  
*res,*



res, qui est un terme plus Italien que Francois c'est à dire, un Negociant, qui repond ce qui lui semble à la demande, qu'on lui fait (mi père) parce que la pratique du negociant, particulièrement pour les Lettres de Change nous est venue d'Italie.

§. II.

Quod si vocabulum Parere latinis reddere velimus verbis haud incommodè dici posset iudicium, opinio, responsum, consilium, placitum mercatorum. In vernacula nostra ein Gutachten / Belehrung / Rauffmanns Belehrung.

§. III.

Cum verò omnis, quæ ratione suscipitur, de aliqua re tractatio à definitione debeat proficisci, ut intelligatur, quid sit de quo disputetur, placet definire, quid per Parere indicetur. Est autem Parere instrumentum privatum, quo mercatores consulti ad facti speciem, breviter consignatam, de consuetudine mercatores inter recepta respondere suamque sententiam, salvo melius sentientium iudicio, apponere solent, atque eam interdum iudici offerre, ut cognoscat inde, quid mercatores inter in simili casu receptum sit consuetudine, conf. Jac. Savar. d.l. ubi habentur verba: L'on conserve presque par toutes les places du Roiaume, particulièrement à Lion, l'usage des Pareres, qui tiennent bien d'actes de notoriété, Lors qu'on les donne de l'autorité du conservateur (iudicis) ou bien d'une consultation particulière pour appuyer le droit de celui, qui consulte.

B 3

§. IV.



## §. IV.

Ex hac definitione pater, quomodo differant Responsa hæc mercatorum (1.) à iudiciis s. consulibus mercatorum, de quibus antea diximus. Licet enim non eadem ubivis locorum auctoritas eorum sit, sed Jurisdictio horum iudicum variet, & in quibusdam Civitatibus liberior, in aliis restrictior sit eorum potestas. Sic Principem Rainutium, Farnesii, Parmæ & Placentiæ Ducem, inter cætera non leviora Placentiæ Consulibus mercatorum summum jus, non solum quod in decidendis causis & controversiis mercatorum & cambiorum, sed & illud, quod in animadversione in facinorosos versatur, denegatâ quacunq; quoquo modo damnatis, & ad ipsum Principem provocatione, tribuisse, testatur Raph. de Turri *de Camb. disp. 1. 2. 1. §. 5.* tamen semper illis competit non solum vis cognoscendi, sed & decidendi in causis mercantilibus. Hæc autem potestas minimè tribuitur mercatoribus, de consuetudine in curia mercatorum usitata respondentibus. Deinde iudicium horum. s. Archi-consulum potestas publicâ nititur auctoritate. Solent enim à summo imperante constitui. v. *ordonnance de Louis XIV. Roy de France tit. XVI.* At Parere. s. responsum dare possunt mercatores privati, rerum & commerciorum, de quibus consuluntur, periti, utut non rarò Consules ipsi, cum consuetudines optimè calleant, & præjudiciorum gnari sint, consuli soleant. Scaccia *de Commerc. & Camb. all. ap. Marquard lib. III. c. VI. §. 20.*

## §. V.

Differunt (2.) Parere. s. Responsa hæc à compromisso



misso. Notum enim est, quod, si partes in aliquem  
 compromittant, ejus laudo stare teneantur *l. 3. C. de Crione.*  
*Carpz. part. 1. const. 1. def. 13.* Secus autem est in Pare-  
 re, de quo nobis sermo est, quod regulariter informatio-  
 nis vel probationis gratiâ ad acta producitur. Quod si  
 in Parere compromittant partes, tunc in aliam de gene-  
 rat conventionem, sc. compromissum. Licet nihil obstat,  
 quo minus per ordinationes s. Statuta introduci queat, ut  
 mercatores teneantur arbitros eligere, quorum laudum  
 s. Parere sententiæ effectum & rei judicatæ habeat.  
 Qualis iudicium s. arbitrorum species est Lutetiæ. Sta-  
 tuit namque Franciscus II. mense Augusto A. 1566. in  
 gratiam commerciorum, & mercatorum, ne negotia-  
 tores litibus involverentur penè immortalibus, neve à  
 negotiationibus distraherentur, ut pro negotiis mercaturæ  
 concernentibus, non tenerentur mercatores inter  
 se disceptantes coram ordinario iudice litigare, sed com-  
 pellerentur arbitros eligere, tres vel plures, impari nu-  
 mero mercatores, vel alterius generis, si res exigeret,  
 quorum Parere s. Responsum ejus esset efficacitæ & ef-  
 fectus, cujus sunt transactiones aut suprema Curiarum ju-  
 dicia, nulla relicta spe intercedendi, seu, ut dicunt, op-  
 ponendi vel provocandi, & ut hoc iudices Regii tene-  
 rentur, quandocumque fuissent requisiti, executione  
 demandare summarie & sine strepitu iudicii, perinde ac  
 si per eos latum esset, & si quando controversantes non  
 possent vel nollent convenire de arbitris, eò casu pos-  
 set iudex competens præfigere dilationem nominationi,  
 vel electioni per litigantes faciendæ, quâ elapsâ ipse pos-  
 set nominare & eligere arbitros mercatores, nullâ ea de  
 read-



re admiffa provocatione, ut ex Gregor. in Syntag. jur. c. 37. inf. docet Marquard, d. l. III. c. VI. §. 27. De confuetudine, quæ Francofurti ad Mœnum obferuatur, testis est Joh. Martin. Vogt. JC. & Advocat. Francof. de Camb. zh. 8. quando ait: die Herrn Kauffleute bemühen ſich den zwifchen ihnen für fallenden Streitigkeiten in der Enge und ohne bemühung des Raths per modum compromiffi vel commiffionis ihre abheffliche Maaf zu geben/und weil die Herrn Deputirte oder Commiffarien vielmahl des Kauffmanns Styli nicht allerdings kundig / fo ſuchen ſie dieſelbe durch unpartheiliche Parère oder Kauffmanns-Belchrung de Stylo und confuetudine zu certioriren.

## §. VI.

Differt Parere (3.) à Reſponſis Jctorum, quia Juris conſultorum, de jure reſpondentium, publica eſt auctoritas. Hæc enim potestas, quæ jure antiquo Romano unicuique permiffa erat, imperante Auguſto reſtricta, & effectum, ut facultas publicè reſpondendi beneficii loco ab Imperatoribus peteretur, quo eò major auctoritas eſſet eorum, qui conſulerentur, per L. 2. §. 47. ꝑ. & ut obiter ff. de Orig. jur. add. §. 8. ꝑ. de jur. N. G. & civil. quam potestatem conſulendi & reſpondendi non tantum Jctorum collegia in Academiis ſed & omnes juris Doctores, qui in locum veterum illorum prudentum ſucceſſerunt, Carpz. part. 2. Conſtit. 10. def. 4. n. 3. ex auctoritate Imperatoria, in inauguratione ſolemniter collata, ſibi reſtiſſimè vindicant. Cothman. Vol. V. Reſp. 38. n. 1. ſeq. Carpz. lib. 6. Reſp. 18. n. 10. add. Dn. Stryck. U. M. ad tit. de Orig. jur. Porro ſi ex deſiderio partium tranſmittantur

tur



tur acta vel ex officio citatis partibus pro concipienda sententia, quam transmissionem iudex regulariter declinare non potest, vi *Recess. Imperii de A. 1654. §. 113.* ibi *sol schuldig seyn* / iudici integrum non est, ab illa sine iusta & urgente causa recedere. *Mev. part. 2. Dec. 261. n. 4. & ad jus Lubec. part. 2. lib. 5. tit. 9. art. 2. in addit.* Denique consuluntur JCTi, ut de iure non de consuetudine respondeant, licet consuetudines in Respondendo insuper haberi non debeant, cum in supremis Germaniæ dicasteriis etiam secundum eas pronunciari debeat. v. *Ord. Cam. p. I. tit. 13. §. 1. t. 5. 7. pr. add. Præfat. Ordin. Criminal. Caroli V. inf.* c. contratio mercatores in *Parere* de consuetudine tantum & usu, in foro suo recepto, testantur; quò factò, JCTorum erit, non mercatorum, consideratis actuum circumstantiis, iudicare, an omnia ad sint legitime consuetudinis jus facientis requisita, id quod nemo mercatorum inficias ibit. v. *Dn. Parens Tr. de Consuetud. Legitima Tit. XVII. §. 2.*

§. VII.

Denique differt *Parere* a testimonio propriè dicto. Licet enim iudicia negotiatorum testimonii speciem præse ferant, dum ex illis appareat, quæ sit consuetudo, in hoc vel illo casu mercatores inter recepta; tamen desunt adhuc varia, quæ ad testimonium requiruntur. Sic ad formam testimonii de iure validi requiritur, ut sit juratum, testibus enim non creditur nisi juratis. At *Parere* nunquam datur juratum, & regulariter mercatores *Parere* suum per modum consilii non vero testimonii cum aliis communicare solent.

©

§. VIII.



§. VIII.

Ex definitione, quam supra dedi, patet, *finem primarium* & *parere* esse, ut de consuetudine s. moribus negotiatores inter usitatis constet iudici; *secundarium* verò ut evitentur lites, infinitæ alias futuræ. Quis enim quæso aded erit insipidus, ut si requisitis plurimorum peritorum Responsis, de consuetudine loci testantibus, videat in casu proposito vel simili pro altera pronuntiatum esse parte, non absteineat à lite, aut amicabilem quærat compositionem nisi in casum succumbentiæ frivoli litigatoris pœnam incurere velit.

§. IX.

Ad Personas qui *Parere* dare possunt me converto. De iure autem s. consuetudine in foro mercatorum responsurus, sit mercator. s. terrestri s. maritimâ occupetur mercaturâ. Solet autem à quibusdam in genere definiiri mercator, quod sit *persona qua mercaturam exercet*. v. D. Lucas Langerman, in *dissert. de iure in curia mercatorum usitato Th. I.* accuratior verò est definitio, quam ex Straccha adducit Marquard. *de iur. Mercat. lib. I. c. VII. n. 8.* describitur autem, quod *mercator sit, qui, negotiationum exercendarum quæstusq. liciti faciendi causa, frequenter merces permutat, & emit, ut easdem non minutatim, nec mutata per se formâ distrabat.* Ubiquæritur, an *Campsor*, vulgò *Wecheler* possit *parere* dare? quæ quæstio cum a præjudiciali, an nomine mercatorum Campsores seu nummularii, argentarii, trapezitæ, & collybistæ dependeat, paucis eam examinemus. Negant  
Nic.

III V 2



Nic. Schafshausen *disput. de Camb. lib. 2.* Thom. Gartz. *Piazza Univers. discors. 65. p. 237.* Cl. Salmas. *de fen. rra-  
peziticop. 527. ex passim*, quos sequitur D. Marquard. *lib.  
I. c. VII. n. 13.* Affirmant Straccha *de mercaturap. 3. n.  
67.* & Ruland *de commiss. part. I. lib. IV. c. 19. n. 13.* quo-  
rum sententia verior mihi videtur. Nam quemadmo-  
dum varia dantur commerciorum genera; ita cur cam-  
psores proprium negotiationis genus constituere neque-  
ant, non video. Pluralitas enim negotiorum non requiri-  
tur, ut quis mercator dici possit, ut ut excellentior sit mer-  
catura variis occupata mercibus. Nec obstat, quod ne-  
gotiatio eorum versetur circa nummos. Nam vocabulu-  
m mercis in definitione sumitur latè, ut etiam nu-  
meratam comprehendat pecuniam, quod tacitè quoque  
concedunt dissentientes, dum in numerum mercatorum  
referant argenti distractores, vulgò Banquiers. Apud  
Romanos mercis appellationem ad pecuniam pertinuis-  
se patet ex *L. 1. §. ult. L. 4. §. 5. ad L. Rhod. de jactu junct.  
L. 2. §. 2. eod. add. Mantica Dec. 313. Eyben. diss. de Facto-  
ribus §. 16. seqq. conf. Magnif. Dominus Hertius lib. I.  
Paræ. jur. Germ. 43. §. 19.* Levè quoque est, quod ducit  
argumentum ex *L. si idem 7. C. de Codicillis*, ubi di-  
citur: *si idem codicilli quod testamenta possent: cur di-  
versum his instrumentis vocabulum mandaretur, qua  
vis ac potestas una sociasset?* Quæ legis ratio ut in casu  
proposito admittenda, ita quam infirmum a vocabulis ad  
ipsam vim & rei effectum sit argumentum nemo ignorat.  
Exemplo sit Dux Venetus, qui licet Dux vocetur; nihil  
tamen potestatis apud illum residet, ut testatur Disdier  
*de la Ville & la Republique de Venise part. II. pag. 198.* ubi



in fine ait: *L'on fait devenir une vaine image, & un véritable fantôme de la Majesté &c.* conf. Magnif. Dn. Hert. *Element. prud. Civ. part. I. Sect. VI. §. 13. & in Nos.* Nullus itaque dubito, quin si controversia circa negotium nummariam incidat, campfor *Parere* suum dare, deque consuetudine inter campforos usitata respondere queat. Sed quid dicendum de proxenetis? Regulariter illos in causis mercatorum consulendos esse negandum, cum non sint mercatores, sed tantum inserviant negotiationibus. Eorum tamen iudicium non planè rejiciendum esse putaverim, cum negotiationum, quæ tractant non minorem mercatoribus sapè soleant habere notitiam.

## §. X.

Cæterum nullius planè momenti in causis mercatorum forent consilia eorum, qui semel tantum merces emunt, vel unam aut alteram mercaturam exercent. Non enim qui semel merces emit vel vendit, aut uno actu negotiatus est, sed qui assidue & frequenter ad mercatoris officium sedat, mercator dicitur. Menoch. *de urb. judic. quest. Cas. 400. n. 20.* Br. *in L. Legatis servis n. 3. v. tertio quare mercator ff. de Legat. 3.* & *in L. mariti §. qui questum ff. de Adult.* Rota Genuensis *Dec. 37. n. 13.* notitiamque actuum extrajudicialium habere potest.

## §. XI.

Planè hæc potestas respondendi deneganda est Propolis, & Revenditoribus, Germanicè *Höcker / Vorräuffer / Landrämer*. Hi enim minoris conditionis sunt, quam ut pro mercatoribus haberi, & fides in rebus mercantilibus eis dari queat. Denique sententiam sive Responsum dare nequeunt omnes qui mercaturam exercere

re



re prohibentur v. g. Clerici, milites. De quibus ut & aliis v. Marquard. *lib. I. c. 19.*

§. XII.

Porrò ratione ætatis habitas respondendi considerari potest. Ubi quidem fatendum majorem pro Veterano esse conjecturam; cum ad consuetudinem legitimam requirantur diturnitas temporis & frequentes actus. *l. 32. §. 1. l. 35. de LL. Scris, & Long. consuet. conf. D. Parens d. Tr. tit. IV. quorum notitiam non nisi veteranus habere posse videtur.* Nihilominus tamen ætas hæc definiti non potest, sed iudicis arbitrio ejus definitio relinquenda. v. *D. Parens d. L. §. 4.* Ætas enim non solum consideranda venit ratione natiuitatis, sed & annorum negotiationis vel mercaturæ exercitiæ, de quâ quaeritur. Unde licet v. g. sexagenarius quis esset, proinde non statim justam foret opinionem de causa mercaturæ spectante, si fortè, paucos annos illam saltem exercuisset; siquidem respectu commercii juvenis esset dicendus, nec pro vetere, & in propofita negotiatione versato habendus.

§. XIII.

Apparet inde, dari posse casus, ubi major fides responsio mercatoris juvenis v. g. 30. annorum de moribus commercii, quod semper tractavit dato, quam Veterani, aliis honesti viri, sententiæ tribui queat.

§. XIV.

Hoc meretur observari, cum varia dentur mercaturæ genera, nec omnes mercatores omnibus occupati sint mercibus, neque denique ad omnes regiones uniuscujus-



que se extendant commercia, majorem utique conjecturam pro responso mercatoris militare, qui ad eum locum commercia agit, de cuius consuetudine in casu proposito queritur, vel qui occupatus est mercibus, de quibus lis est, quam pro opinione eorum qui loci consuetudinis vel mercium ignari sunt. v. Dn. Parens *d. l. §. 9.* Eorum enim quæ quisque novit æquissimus est iudex, secundum Aristot. *1. Ethic.* Huc pertinet etiam tritum illud: *Cuilibet artifice in sua arte credendum.*

§. XV.

Consideratis personis, quæ negotium hoc perficiunt, jam videamus de objectis circa quæ versantur mercatorum Responfa. Hæc sunt omnes obligationes, pacta, contractus, commercia, tam terrestria, quam maritima, concernentes. v. g. Cambium, Assècuratio, Bodmeria, Haveria &c. Cum autem insignes circa hosce contractus. s. pacta oriantur controversiæ, haud inutilem me impensurum credo operam, si unam alteramve quæstionem proponam,

§. XVI.

Videamus primò de Cambio, quod est contractus, quo ita permutatur pecunia, ut pro pecunia alio certo loco alia pecunia æquivalens, interveniente aliqua mercede, detur. Struv. *Ex. 25. §. 40.*

§. XVII.

Ante autem quam ad controversiam ipsam me convertam, præmittendum erit, quotnam personæ requirantur cam-



tur cambiale negotium perficientes. Non una quidem hac de re DD. opinio est. Alii enim duas saltem Remittentem videlicet & Trahentem, alii tres nimirum Remittentem, Tractantem, & Acceptantem requiri dicunt. Plurimorum tamen DD. opinione quatuor personæ heic concurrunt. *Prima* persona est quæ pecuniam per literas transferendam s. transcribendam recipit vocatur Cambfor, it. Collybista, transportans, scribens, dator literarum, Trassans, Tractans vel Trahens, Transcribens, Receptor, Germanicè Trassirer/Wechselnehmer/Wechseler vel der Geber/Aufgeber des Wechselbrieffes/ it. der Geld auf oder zu Wechsel nimt/ seu der den Wechselbrieff aufstellt, it. Ordre Geber. *Secunda* persona nominatur Remittens, s. numerans, der Wechselgeber/ der Herr des Wechsels: hic pecuniam certo in loco alicui exsolvit, ut alibi ab alio eadem vicissim exsolvatur & talis respectu Trassantis est creditor. Est ergo remittere s. remissam facere hic idem quod mandare. *Tertia* persona, cui fit remissa, appellatur præsentans s. exactor adjectus, Campsarius qui pecunia alio in loco indiget Germ. procurant, Brieffs Uberbringer/ Inhaber/ Ors drehaber/ auf den der Wechselbrieff gericht und solchen dem acceptanten vorzeigen muß J. Savari im vollkommenen Kauffmann c. 20. *Quarta* persona, cui dirigitur Trassata, seu cui scheda cambiales præsentantur auff den der Wechsel gezogen wird; dicitur alias acceptans, acceptator, mandatarius Trassantis it. negotiorum gestor, factor, commissarius, correspondens, correspondent v. Dn. Stryk. d. de Liter. Camb. accept. §. 3.

§. XIIX.



His præmissis pergo ad quæstiones quarum PRIMA fit: *An omnes literæ cambiales (exceptis iis quibus remissio fit ad nundinas, & in quibus Trahens simul acceptantis personam sustinet) statim presentari, & consequenter absque mora transmitti debeant, ita ut remittens, moram hac in refaciens, regressum adversus Tractantem non habeat? Sive an remittens cambium statim ad presentandam illud mittere teneatur, neque usq. ad diem solutioni destinatum Cambium morari queat?* Qui affirmativam defendunt sequentibus nituntur rationibus: Primo ajunt: Sana rationi consentaneum esse, literas cambiales sine mora ad acceptandam transmitti. Cum enim ad implementum hujus contractus requiratur consensus acceptantis, æquum esse, ne quid ad perficiendum hunc contractum omittatur quod fieret si remittens usque ad diem solutioni destinatum differat præsentationem vel transmissionem literarum cambialium, teneri autem remittentem efficere ut quantocius Trassans certior reddatur de acceptatione cambii. (2) Ex mora haud levem colligi doli præsumtionem s. suspicionem. (3) Secundum plurimorum DD. sententiam cambium esse contractum in nominatum correspectivum, ac proinde exactissimam requiri diligentiam, nihilque, omittendum esse ex quo alteri parti damnum creari possit. (4) Præsentantem propria culpa in hoc damnum incurrere, cum differendo præsentationem causam det, ne acceptentur literæ cambiales, damnum autem quod quis sentit sua culpa non videre sentire. (5) Hic intercedere mandatum. Cum enim solutionem per tertium



tium promittat Trassans, cum simul remittenti dare mandatum præsentandi cambium illi, cui facta trassa. Mandatarium itaque sive remittentem teneri debitam adhibere in exsequendo diligentiam. (6.) Negotium cambiale ob varios occurrentes casus & circumstantias quam accuratissimè tractandum esse, omnemque moram quam fieri potest, vitandam. (7.) Notum esse, quod si negotio expediendo nulla certa forma à mandante præscripta sit, illud expediendum esse boni viri arbitrio, & ad mandantis præsumptam voluntatem. Præsumendum autem, voluisse mandantem, ut statim præsentetur & acceptatio acceleretur, cum diligens mercator hoc facere soleat. (8.) Communem DD. sententiam esse, si creditor cambii negligens fuerit circa ejus exhibitionem, trassantem liberari, etiamsi alter interim decoxerit.

*Negantes contrapro sua sententia rationes sequentes adducunt:*

(1.) ajunt, Trassantem esse Remittentis debitorem, sc. si soluta sit pecunia, ac proinde remittentem sequi solum conditionem & fidem Trassantis, nullà habità ratione acceptantis. (2.) Præsentantem s. Remittentem cambium offerendo elapso solutionis termino, ac à non subsecuta acceptatione protestando debito satisfecisse suo. (3.) Quemadmodum ante diem destinatum solutio exigi nequit, ita ante diem nullam Remittenti, posse impulari moram. (4.) Certum tempus præsentationi non esse præfinitum. (5.) Trassantem Remittenti ob acceptum cambii valorem firmiter obligatum esse, posse itaque

D

Remmit



Remittentem, si non accipiatur cambium, repetere pecuniam, cum traditio cambii non liberet Trassantem, nisi ab illo, cui facta trassa, secuta sit solutio. (6.) Cum ut plurimum in cambio tempus solutionis exprimi soleat, usque ad præfinitum tempus præsentationem differri posse, cum delatio uni concessa etiam prodesse debeat alteri. Quinimò creditorem ante diem petentem exceptione plus petitionis repelli.

## §. XIX.

SECUNDA quæstio. *An literis cambii acceptatis, periculum sit illius, cui solvenda est pecunia, s. An si acceptans, antequam soluta sint literæ cambiales, rationes turbet foroque cedat, presentans non habeat regressum adversus Trassantem?* affirmant hanc quæstionem Stypman *de jur. marit. part. 4. c. 8. n. 89. 90.* Mascard. *Concl. 91. n. 8.* Nic. de Passeribus *de scrip. priv. lib. 3. 2. 40. n. 71. 72.* & ibi alleg. DD. quos sequitur Dn. Marquard. *lib. 2. c. 12. n. 74. seqq.* Negant Carpz. *p. 2. Const. 26. def. 13. Mev. part. 9. Dec. 132.* Dn. Samuel. Stryk. *Tr. de A. F. 7. Sec. 1. memb. VII. §. 23.* Affirmantium rationes sunt: (1.) Cum literæ sunt acceptatæ, brevi manu videtur presentanti fuisse numeratum (2.) Quia dimitens literas ipsas Cambii penes acceptantem cum acceptat debitorem, & contra acceptans recipit ipsum presentantem in creditorem. (3.) Quoniam per acceptationem seu quasi novationem novus furrogatus sit debitor, qui cambium exsolvere teneatur. (4.) Ejus-



(6.) Ejusmodi acceptatio habetur de Stylo mercatorum loco solutionis pecuniæ. His tamen non obstantibus, veriolem ac receptiolem puto Carpz. & Mev. sententiam, qui existimant, scribentem non prius liberari, quàm subsecuta actuali pecuniæ numeratione, cum acceptans per acceptationem reputetur fidejussor; fidejussore autem solvendo existente, regressus nihilominus adversus principalem debitorem semper patet. Nec est, quod hîc fingatur, brevi manu numeratum esse, vel satis factum præsentanti. Hanc enim fictionem non agnoscit jus naturæ, quod sequimur in causis mercatorum, in quorum controversiis non disputatur de apicibus juris. Quin potius non pro solutis sed pro solvendis, atque cum hac tacita conditione præsentans videtur accepisse literas, ut nisi solvatur, tradens maneat adhuc obligatus. Accedit, quod contractus cambii utriusque gratia celebretur, nec campsores absque spe lucri hoc exercent. Hoc autem quando fit, periculum pertinet ad mittentem *L. 10. §. 1. in f. ff. Commod.* qui sibi imputet quod non magis idoneam elegerit personam, per quam pecunia solvi possit *L. 11. eod.* Præterea acceptatio facta non est novus contractus inter acceptantem & creditorem, cui facienda est solutio, sed est pars contractus literarum cambii, celebrati inter istum & mandantem. Acceptatio enim pertinet ad implementam contractus, & per acceptationem præsentans consequitur duos debitores, quorum unus, si non sit solvendo, regressus adversus alium illi non est præcludendus. Et hoc procedit, licet non statim à non soluto cambio protestetur præsentans. Ex protestatione enim contra



non solum cambium non producit nova actio, sed hoc tantum operatur, ut prior actio contra Transientem competens remittenti maneat salva, & via executiva contra eum procedi possit. Et hoc Genue observari testatur Marquard. *d.l.*

## XX.

Cæterum notari meretur secundum Statut. Hamb. *part. 2. Tit. 7. a. 6.* acceptationem vel tacita receptione aut retentione literarum fieri, ita enim sonant verba: Wird jemand ein Wechsel-Brieff zu acceptiren gegeben und derselbe solchen drei Wörse Zeit bey sich behält / und der vorige Einhaber des Wechselbrieffs ihn wieder abfordert / aber nicht wieder bekommen kan / so soll derselbe vor vollkomslich acceptirt gehalten / und wann derselbe verfallen / von dem/der den Wechselbrieff über vordenede Zeit bey sich behalten / und auff beschehene Abforderung nicht von sich gegeben / bezahlet werden.

## §. XXI.

Ad contractum Assurationis, qui & sponsio appellari solet, juriq; civili incognitus est, nisi eum aversionem periculi, quæ dictio juri Justiniano cognita, vocare velimus cum H. Grotio *lib. 2. d. I. B. c. XII. §. 3. f.* me convertio. Est autem Assuratio conventio de averfio periculi pretio, vel si merces perire contigerit, æstimatione earum ab Assuratore solvenda. v. Magnif. Dominus Hertius, Mæcenas Studiorumque meorum promotor submisso animi cultu æternum devenerandus *lib. 1. paræm. 43. §. 26. conf. Sam. Pufend. de J. N. G. lib. 1. c. IX. §. 8. Struv. Ex. 25. §. 46.*



Circa hunc contractum gravissima oritur quaestio: Si periculi primum initio non sit datum, casus vero adversus contigerit, ut res seu merces interiret, an is qui periculum suscepit, eò quod nihil ipsi datum, poenitere possit?

Qui controversiam ex mero jure civili decidunt, affirmant hanc quaestionem, eò quod in contractibus innominatis, ubi alter nondum implevit, poenitere liceat. *L. §. §. 2. s. pr. de Cond. caus. dat. caus. non. secut.* quibuscum facit Rutger. Rulant. in *pec. consilio von Erledigung einer schweren in Affecurations-Sachen vorgestellten Frage* v. Magnif. D. Hertius *lib. I. Paroe. 43. §. 30* Dn. Marquard. *lib. II. c. 13. n. 16.* circa Affecurationem illa, quae inter mercatores usu & consuetudine invalere negotia, eatenus attendenda esse docet, ut praecise secundum ea judicati debeat, arg. *L. deprecatio 9. ff. ad L. Rhod. l. 6. de Evict.* conf. Rulant. *de Commiss. p. 4. lib. 2. §. 16.* Cui & haec assentimur, nisi in aliquo loco jus civile hac in parte receptum sit, ut de Amstelodamo testatur antè allegatus Magnif. Dominus Hettius *d. l.* Sed quid si neque loci mos appareat, quia varius fuit, ut de Hamburgo testatur Rulant. *dict. consil. pec. sub. n. 15. 17.* ubi docet quomodo apud Hamburgenses ab A. 1617. ad 1629. variatum hac in re fuerit; neque jus Civile hac in parte receptum sit? Poenitentiam locum habere non puto. Cum enim in causis mercatorum aequitas spectanda, neque de apicibus juris disputandum sit, us supra diximus, consequens erit, rem secundum



jus Nat. s. sanam rationem definire. Jure autem naturali ex quovis pacto oritur obligatio & cum ea actio. Nul-  
 lus itaque dubito, quin firmiter obligetur asecurans, licet  
 præmium illi non fuerit prænumeratum, & si casus con-  
 tingerit adversus, ejus sit periculum. Juri Civili antea al-  
 legato obstat principium juris patrii. Jus enim Germa-  
 nicum contractibus innominatis, solo consensu celebra-  
 tis, eandem vim tribuit quam habent alii contractus nomi-  
 nati. In lib. 6to. Capit. Franc. tit. 152. & 417. est: *Com-  
 mutatio, si non fuerit per vim & metum extorta, talem  
 qualem & emptio habet firmitatem.* Ubi verò adest prin-  
 cipium juris patrii, ibi pro eo tamdiu est præsumendum,  
 donec probetur jus justinianeum esse receptum. Accedit,  
 quod praxis hodierna sequatur jus patrium. Hodie enim in  
 contractibus innominatis non requiri unius partis actua-  
 lem præstationem docent. DD. v. Dn. Stryk. *de A. F. 7.  
 Sect. I. memb. 7. §. 3.* Gudelin. *de jur. nov. lib. 3. c. 5. in fin.*

§. XXIII.

Altera non minus insignis ac quotidiana occurrit  
 quæstio: *Ansi ob timorem tempestatis, ut fieri solet, se van-  
 de ac salvandæ navis causa, merces projiciantur, casus iste  
 nautarum culpa, an vero fortuna adscribi debeat?* Si prius,  
 liberabitur asecurator, qui non nisi de casu fortuito tene-  
 tur; sin posterius, secus erit dicendum. Asecuratorem  
 liberari, nautarumque culpæ casum adscribendum esse,  
 non sine speciosa ratione quis defenderet, quia principium  
 hujus jactus non tam ab ipsa vi tempestatis quàm à libe-  
 ra nautæ s. magistri navis voluntate dependere videtur,  
 cum voluntariè dicatur facere, qui coactè facit juxta illud:  
*Sicque*



*Sicque volens factus, quod nollem velle  
coactus.*

Enimverò calum hunc fortunæ deberi, & assecuratorem de istis mercibus jactis ob maris fortunam teneri verius est. Utiq̄ue enim tempestas maris extremaque necessitas ansam jactui præbent, nec libera hic est magistri voluntas. Dein jactus & perditio æquiparantur in *L. navis ff. ad L. Rhod. de jact. in pr. & L. f.* nec poterit assecurator jactum imputare magistro navis, modo non sine causa fiat, sed necessitate urgente, quod per tres testes probatur secundum Statuta Hamburg. *part. 2. tit. 16. art. 2.* ibi: **Jedoch ist der Schiffer schuldig den Kauffmann zu fragen/und gebe er nicht vollbord dazü /darum mag der Schiffer das nicht lassen / mag er schweren selb dritte als er zu Land kompt daß es die hohe Noth erfordert.** Neque hic distinguendum, an quodammodo certum fuerit, jactas merces nihilominus cum nave perituras; quemadmodum si urgente incendio domus aliqua destruat̄ur, cæterarum conservandarum causa, vicini quorum ædes salvatæ sunt, contribuere tenentur licet quodammodo certum non fuerit, domum dirutam nihilominus fuisse interituram. *DD. arg. 1. 2. de L. Rhod.* Ut enim quis evitet damnum, potest alii quandoque hoc imputare. Non enim dici potest hoc factum sine periculo, quod fit propter majus malum vitandum.

§. XXIV.

Cum autem transportatio de uno loco ad alium fiat, à quo loco & ad quem periculum ab assecuratore præstandum sit, videamus. Hic nisi aliud convenerit, aut lege definitum



definitum sit, naturalem rationem dictare putat Loccenius *de jur. marit. lib. 2. c. 5.* ut assicuratio initium sumat à tempore mercium, in navalia translatarum, & duret usque dum merces in destinato portu salvæ sint exoneratæ. Si verò assicuratio ab uno portu in alium facta sit, absque mentione mercium in terram exportandarum, assicuratio inchoatur à tempore impositarum navis mercium, & finitur tempore navis portum destinatum ingressæ. v. *Sapè alleg. Magnif. Dn. Hert. d. Paroe. §. 25.*

§. XXV.

Sapè etiam contingere solet, ut in una eademque navigatione merces transferantur ex una navi in aliam & novissima cum mercibus pereat, ubi quaritur. *Num assicurator seve promissor de isto periculi eventu teneatur*: Hic si nihil in assicurationis formula, vulgò *Police* dicta, reperitur, dispositum, vel nulla facta sit mentio navis novissimæ, assicurator non tenebitur. Assicuratores enim in hoc contractu imprimis respicere solent conditionem navis, an nimirum adversæ maris tempestati resistere, & onera imposita ferre queat. Plures de hac materia observationes utilissimas vid ap. Magnif. Dn. Hertium *in alleg. Paroe.* qui & in §. ult. mentionem facit contractus assicurationi finitimi & in Hispania frequentis, quando res magni pretii sub hasta venum exponens, certam illi promittit pecuniam, qui repromittit pro illo præmio rerum venalium pretium intra justis valoris terminos a se quantum potest auctum, & rem, deficientibus aliis, emtum iri, ubi perinde ut in avertendi periculi conventionem repromittens ille licitator conqueri non potest, licet eveniat



❦ ❦ ❦

niat ut bona auctioni commissa ipse pro summo pretio accipere cogatur.

§. XXVI.

Circa jus Haveria versari etiam *Parere* f. Responsum mercatorum, sententiamque eorum in multis controversiis requiri, quotidiana testis est experientia. Quare casus quosdam, circa hanc conventionem occurrentes, proponam.

§. XXVII.

Non moror jam varias literatorum sententias circa originem vocis *Haveria*. Sunt equidem qui vocabulum hocce originis Arabicæ esse putant. Quidam Græcæ linguæ originem adscribunt. Alii demique inter quos etiam Boxhornius à Scythico derivant idioma, de quibus v. Marquard. *lib. 3. c. 4. n. 4. s.* add. Schortel. *de singul. quib. & antiq. in Germ. jur. c. 21. §. 2.* Rectius fortassis sentiunt qui appellationem à Germanico *Haven* petunt, eò quod contribuere teneantur illi, quorum bona in portum salva delata sunt.

§. XXVIII.

Definiri potest, quod sit conventio, sive pactum tacitum, vi cuius illi, quorum bona ob jactum mercium aliarum conservata, contribuere, damnunque reliquis, quorum bona jactu periere, refarcire tenentur. De æquitate & extensione hujus pacti v. passim DD. Nobis hac vi re sufficiat quæstiones quasdam insignes explicare.

E

§. XXIX.



Prima sit, *An res jactu amissa æstimentur quanti fuerint emta, an verò quanti vendi potuissent?* Res amissas æstimandas esse quanti vendi potuissent, dici posset ex hac fortè ratione, quoniam & in hoc damnum passifunt, quorum bona ejecta, quod nullum percipiant lucrum. Mercatura autem propter quantum exerceri solet, & mercatores, in computanda læsione non tantum ad damnum emergens, sed & lucrum cæssans respiciunt. Ex quo principio quidam deducunt, debitorem mercatoris solvere re-nuientem, ob moram non solum in consuetas usuras i. quin-cunces, sed & in interesse & omne id quod mercator cum pecunia illa lucrari potuisset, condemnandum esse, modo probet mercator interesse, & ob denegatam à debitore pecuniam, occasionem quantum faciendi elapsam esse.

## §. XXX.

Hæc tamen non obstant, quo minus res amissas regulariter non quanti vendi potuissent, sed quanti fuerint emtæ æstimandas esse putem. Nam in computando damno attenditur, quantum detrimenti revera passus sit alter. Accedit quod jactus omnium contributione sit refarciendus, & damnum omnibus debeat esse commune, nihil verò contribueret ille, cujus res ejectæ, si æstimarentur, quanti vendi potuissent, nec damnum sentiret, cum & res suas & lucrum consequatur. Præterea aliud est sentire damnum ex culpa seu mora debitoris, aliud casu fortuito. Quidam tamen distinguunt, an jactus mercii factus sit, antequam dimidiam suscepti itineris partem navis ex-pleve-



pleverit; tunc enim merces amiffas haud pluris aestimari volunt, quam quanti emtae fuerint: si vero dimidio itinere jam superato ejiciantur merces, eo pretio aestimandas esse, quod venditae fuissent loco destinato. Quam distinctionem communi consuetudine receptam esse, testatur Brunneman. ad *L. 2. de L. Rhod. n. 12.* add. Wissenbach. ad *D. disp. 28. n. 7.* Mastert. in *Var. tract. ad tit. de L. Rhod. de jact.* p. 364. Loccen. *de jur. marit. lib. 2. c. 8. §. 10.* tibi idem moribus Gallorum, Britannorum, & Belgarum dudum observatum esse docet.

§. XXXI.

*An conferre debeat, cujus res propter jactum inundatis rebus deteriores factae?* Distingui solet, an plus sit in collatione, an in damno, h. e. an plus sit conferendum, an verò damnum rebus illatis majus. Si plus sit in collatione, deducto hoc, quod damnum passus est, reliquum conferre debet. Sin verò plus in damno sit, nihil supererit, quod conferat aliis, cum hi plus illi conferre teneantur.

§. XXXII.

*Sed quid si non ob jactum sed ex alia causa, veluti, quod alicubi jacebant merces in aliquo angulo, & unda penetraverit, vel res deterioratae ante vel post jactum corrupta sint?* Conferre cogendus est, cujus res deteriores factae; at ipsi non confertur. Nam casui fortuito adscribendum, quod ejus merces in alia navis parte deterioratae sint, nec quicquam postulare poterit, cum jactus non dederit causam damno rebus ejus illato: Confert autem cujus merces, utur deterioratae, ob jactum aliarum servatae sunt. v. Loccenius *d. Lib. 2. c. 7. §. 8.* Struv. *Ex. 20. §. 21.*

§. XXXIII.



Hanc sententiam confirmat *jus Statut. Hamb. part. 2. tit. 16. a. 4. ibi*: Wären etliche Güter über der werffung verärgert/oder ganz vernichtet/den Schaden soll man rechnen über Schiff/ Gut/ und die Frache. Wären aber Güter vor oder nach/ und nicht in der Werffung verdorben/ den Schaden rechnet man nicht auff Haveren. Es müssen gleichwohl dieselbe Güter mit gelden den Schaden der geworffenen Güter/ nach dem Tax/ als sie zu der Zeit werth seyn/ und nicht nach dem Werthe/ den sie hatten/ ehe dann sie verdorben seyn.

§. XXXIV.

Transco ad Bodmeriam, quæ vox Germanicæ est originis. *Bodem* enim dicitur carina. s. fundus navis. Sunt qui eam ex veteri Britannica aut Gallica deducunt lingua; sed hi nobis non refragantur, cum & harum linguarum voces sint ex veteri Teutonica s. Celtica. v. Schotrel. *d. Tr. c. XXII. §. 2. in not.* Germanicè dicimus auff *Bodmeren* nehmen/ oder aufzählen. It. sein Schiff mit *Bodmeren* belassen. It. *Bodmen*.

§. XXXV.

*Bodmeria* autem dicitur, quando sub spe majoris lucri certa pecuniæ summa perfolvitur navis patrono, hoc pacto, ut salva navi tantum cum fœnore reddatur, relicto



relieto interea sibi hypotheca loco navigii fundo, quod  
perdito & fors interit. Schottel. *d. c. XXII. §. 3.*

§. XXXVI.

Solet multum quaeri, an in *Bodmeria*, aequè ac in  
*hypothecis*, valeat tritum illud, quiprior tempore, potior  
est jure? Germanicè dicimus *die älteste Brieffe gehen vor.*  
Non eadem hac in re ubivis obtinet consuetudo. Jure Hol-  
land. Naut. enim *gaet den jüngsten Bodmercy Brieff vor an-  
ders gelte Brieffe/* id est, novissimum pecuniae nauticae in-  
strumentum praefertur aliis similibus, si concurrant plures  
qui instrumenta nautici faenoris diversi temporis habeant.  
Schottel. *d. c. XXII. §. 9.* Consentit jus maritimum Regni Suec.  
cum hoc tamè temperamento nimirum: Si omnes faenoris  
nautici literae in uno loco datae sint, & differentia inter  
earum aetatem non sit supra octo vel decem dies, tum  
aequè validae sunt, & earum possessores aequale jus pigno-  
ris ac solutionis habent. *v. jus Marit. Suec. tit. IV. c. 8.*  
quod versum in linguam Latinam edidit Loccenius.  
Instrumentum tamen vel literas pecuniae mutuo ac-  
ceptae pro exstruenda vel reficienda navi, aut aere  
alieno solvendo, vulgò *Dylbrieff*/ modo duorum ex judi-  
cio, vel notarii testimonio & subscriptione roboratae  
sint, habere jus praelationis praeter omni alio debito, imò  
praeter ipsis faenoris nautici literis, sive priores sive postero-  
res his sint, idem jus Suecicum statuit. *d. l. cap. 9.*

§. XXXVII.

E contrario *Hamburgi* creditor, cui primò in navi con-  
stituta est hypotheca, posterioribus praefertur. Ita enim  
in *part. 2. tit. 18. art. 2.* disponitur: *Nimmec ein Schiffe*



bey den Rehderey/ und Schiffs-Freunden/nach Inhalte des  
vorgelesenen Articulis/oder auch sonsten außserhalb Landes/Geld  
auff Bodmerey/ so soll allewege derjenige/ welcher die ältste  
Pfand-Beschreibung beweislich einzuwenden hat/præferire  
und vorgezogen werden. Pro quo Statuto æquitas pu-  
gnat naturalis. Etenim qui hypothecam accepit, jus  
in tota rei substantia & in solidum habet, ut proinde al-  
teri in eadem idem jus constitui non possit. v. Magnif.  
Dn. Hertius lib. I. paræ. jur. Germ. 48. §. 1. ubi in sequen-  
tibus regulam hanc extendit. Interim & ordinationi-  
bus Hollandicis sua non deest ratio. Præferunt enim  
instrumenta posteriora, quoniam per illam postremam  
pecuniam factum est, ut navis ex portu abierit. Quæ ra-  
tio Reip. Belgicæ, utpote quæ commerciorum amplitu-  
dinem pro scopo habet, optimè convenit.

#### §. XXXVIII.

Sed ex collisione horum Statutorum nobilis & gravis-  
sima oritur quæstio: Si in navi quâdam utriusque loci mer-  
catoribus constituta sit hypotheca, quinam in concursu præ-  
ferendi sint Amstelodamenses, an verò Hamburgenses? s.  
cujus loci Statuta spectari debeant? Ut res fiat clarior,  
ponam casum: Magister navis Hamburgi pecuniam ac-  
cepit mutuo à mercatoribus quibusdam Hamburgensibus,  
navigii carinâ hypothecæ loco relicta. Idem ad-  
versa agitata tempestate portum cogitur ingredi Amste-  
lodamensem, ibique iterum à mercatoribus Amsteloda-  
mensibus mutuum sumere, forsan ob refectionem navis,  
dato etiam fundo navis hypothecæ loco; quæritur, qui-  
busnam mercatoribus in concursu competat jus præla-  
tionis.



tionis. f. ejus loci Statuta sequi oporteat? Pro Hamburgensibus pronuntiandum esse puto. His enim in tota navī & quidem in solidum competit hypothecæ jus, ut proinde alteri in eâdem idem jus constitui nequeat, secundum ea quæ supra tradidi. Dein Hamburgi, utpote in loco domicilii debitoris, instituitur concursus creditorum: actor enim regulariter sequitur forum rei, ubi autem fit concursus, eo reliquæ etiam exterorum adversus debitorem lites ob connexitatem causæ trahendæ. v. *L. I. pr. & seq. de reb. aut. jud. possid.* Hamburgi verò judicatur secundum Statuta Reip. Non enim tenetur Summa Potestas sequi jus alienum in fraudem sui juris & civium suorum. Huber. *lib. III. jur. Publ. Univ. c. X. §. 43.* Hinc in quibusdam Germaniæ regionibus cives ac incolæ in concursu antehabentur exteris, & pro consuetudine quæ Biberaci est, ut cives Chirographarii præferantur extraneis forensibus anteriorem hypothecam habentibus, pronunciatum in Camera Imperiali in causa *der Ulmischen Cräfftsischen Creditoren contra Kräfftsische Creditores zu Biberach* ap. Joh. Tileman. de Benignis *ad A. 1597. v. Magnif. Dn. Hertius de Collis. LL. sect. IV. §. 64f.*

§. XXXIX.

Non obstat, quod Amstelodamenses contrahendo propria ob oculos habuerint Statuta. Sibi enim impotent, quod non cautius hac in re versati sint. Nam qui cum aliquo contrahit, non debet esse ignarus conditionis ejus: *L. 19. ff. de R. I.* Nec est quod obijciatur, Amstelodamenses non esse subjectos Legibus Hamburgensibus; Licet enim subditus quis maneat patriæ suæ,  
tamen



tamen illud de actu primò intelligendum, quoad actum verò secundum subditus illius loci fit temporarius, ubi agit, simulque, ut forum ibi sortitur, ita Statutis ligatur. Magnif. Dn. Hertius *dd. dissert. Sect. IV. §. 10.*

## §. XL.

Accedimus ad FORMAM § Parere, quæ potissimum in hoc consistit, ut iudicem vel partem requirentem faciat certiore de publica actuum frequentia, ex qua tacitus legislatoris consensus elici queat.

## §. XLI.

Hoc loco insignis oritur quaestio: *An mercatores responsa teneantur jurato dare?* Non sine specie quis affirmaret hanc quaestionem, quia Parere testimonii rationem de consuetudine secum ferre videtur; testibus autem de consuetudine, quæ facti est, deponentibus non creditur, nisi juratis, secundum Romanum æque ac Statutarium jus Hamburgense. v. *Stat. Hamb. Part. 1. tit. 28. art. 28. Mev. ad jus Lub. part. 2. lib. V. art. XI. n. 1.* Enimverò cum Parere non sit testimonium propriè sic dictum, sed potius consilium s. opinio mercatoris de stylo negotiatores inter recepto v. Jacob. Savarium *in lib. cui tit. Le Parfait negotiant in Praef. edit. nov.* Juramentum nullius usus in judiciis esse potest. Quod si pars aliqua ad actionem, vel exceptionem probandam ad consuetudinem in mercantili causa provocare fortè vellet, in testimonium vocatis mercatoribus, interrogandis ad certos articulos super allegata consuetudine formandos, responsiones mercatorum naturam § Parere amittit



amitterent, & essent instar testimonii judicialis. Accedit, nullibi extare exempla, mercatorum responsa jurato fuisse data.

§. XLII. *audin*  
 Constat quoque interdum Responsa mercatorum de consuetudine agere notoriâ, ubi non opus erit juramento. Factum enim notorium ac evidens non opus habet probatione. *L. 1. §. 12. de O. & A. Gail. 1. Obs. 16. n. 7. Struv. Exerc. 28. §. 9. Mascard. de probat. concl. 1369. n. 17.* sed sufficit qualis qualis probatio per testes, etiam non juratos. *Carpz. part. 2. Const. 7. def. 15. n. 9.* Sed dicis, ad quid itaque profunt mercatorum responsa, cum notorietas non indigeat probatione? Respondeo, Licet notorium relevet ab onere probandi, tamen non relevat ab onere proponendi. *Gail. 2. Observ. 31. num. 18. cum allegat. DD.*; Usus itaque insignem habent *Pareve* mercatorum: Ex hisce enim iudici de notoria inter negociatores consuetudine constare poterit. Fieri etiam potest multis ex causis, ut iudex non habeat notitiam notorietatis. v. *Dn. Parens d. Tr. Tit. XIII. n. 13.* Hâc autem per *Pareve* indicatâ, intentioni suæ satisfecisse censentur partes.

§. XLIII.

Sed quid dicendum de Responsis mercatorum, quæ nullam faciunt consuetudinis mentionem? Talia consilia nullius sunt momenti: ad formam enim *Pareve* requiritur, ut doceat de stylo s. consuetudine loci, in quo controversia agitur, quæ an legitima sit, Jctorum est definire. v. *Dn. Parens d. Tr. tit. 17. §. 8.*

F

§. XLIV.



## §. XLIV.

Reliquæ ergo rationes & allegata, quæ ex Jctorum voluminibus à quibusdam mercatoribus literatis annecti solent, nullius sunt ponderis, cum non habeant, quæ ad formam *¶ Parere* requiruntur, & Jctorum, sit non mercatorum, de jure respondere. Licet non rarò Responsa mercatorum magnum sapiant judicium, & eruditionem ostendant haud vulgarem, quâ de re testis est Patria mea; Sunt enim in Senatu illustri & extra eum, qui præter alias linguas exoticas, etiam latinam callent, juriq; civili operam dant.

## §. XLV.

Insigne verò robur accederet mercatorum responsis, si illis unius alteriusve Excellentis Jureconsulti consilium adjungeretur, quò judici constaret consuetudinem in *¶ Parere* allegatam legitimam, Responsumque mercatoris juri Naturæ, Civili ac Statutario consentaneum esse. Audiamus hac de re differentem sæpe allegatum Jacobum Savarium gallico idiomate Jaques Savary vocatum *in dict. Pref.* ubi ait *Lors qu'on les donne* (loquitur de *¶ Parere*) *de l'autorité du conservateur ou bien d'une consultation particulière pour appuyer le droit de celuy qui consulte: & monitum verè aureum Petr. Wesemb. Consil. 27. n. 34. Observent igitur mercatores præceptum imò verò consilium nostrum, ut peritiores consulant, & leges præesse malins quod si fecerint, & honori, & animabus consulant.*

## §. XLVI.



## §. XLVI.

Haud incommodè hoc loco quaeritur, *quotnam requirantur responsa mercatorum ad id, ut iudex illis fides habere possit?* Nihil hac de re apud JGros reperitur decisum; quare iudicis arbitrio hoc relinquendum. Solent autem mercatores regulariter hoc modo uti, ut unius viri prudentis *Parere* ad acta producant, subscriptis tamen quatuor, quinque, decem, vel etiam interdum plurium nominibus. Quemadmodum verò JCTi magni nominis responsa eadem, quæ integri Collegii juridici, sæpe est auctoritas ita unius mercatoris prudentis ac rerum mercantiliùm periti consilio, modo juri & æquitati sit conforme, fides non erit deneganda. Huc etiam pertinet quaestio, *An post conclusionem in causa produci possint Parere?* quam affirmo. Informationes enim juris admittuntur etiam post conclusionem. Gail. 1. *Obs.* 107. n. 13. Ruland. *d. Commiss.* part. 4. p. 334. Wefenbec. *Conf.* 340. n. 1. *seqq.* Græv. *concl. pract.* 107. *conf.* 2. *Conf. Rec. Imp.* A. 1654. §. 90. Brunneinan. *ad Auth. jubemus C. de judic. de process. c.* 25. n. 9. Oldekop. *quest. sing.* n. 1. & *sequ.* & via probationibus juris nunquam ante sententiam præclusa. Mynsing. *Cent.* 6. *obs.* 56. n. 13. *seqq.* Majoris momenti videtur quaestio: *An hujusmodi informationes, & allegationes juris & facti ab alterutro litigantium exhibita, parti adversæ communicanda sint?* In negativam propendere videtur Gail. *d. l.* Commentator *ad Pand. Camer. Roding.* l. 3. *tit.* 26. p. 771. *seqq.* Sichard. *ad auth. jubemus C. de judic. n.* 3. v. alios apud Menoch. l. 2. *Arb. jur. quest.* 175. n. 1. Pacian.



lib. 1. de Probat. c. 5. n. 120. Guid. Pap. Decis. quest. 242.  
 n. 1. Vultej. 3. de judic. c. 9. n. 16. Affirmativam probant  
 Ilico Unimius Disp. 18. ad Process. §. 7. n. 28. Ruding. 1. Obf.  
 95. n. 1. Ant. Bullæus hoxar. subsocio. disc. 8. n. 28. Justv. Ol-  
 dekop. quest. sing. n. 12. sqq. Arbitrio judicis id relin-  
 quunt Menoch. d. l. n. 14. Gilken. ad L. 2. C. de Edend. n. 7.  
 Brunneman. de Process. c. 25. n. 9. in fin. Alii distinguunt  
 an responsa præsentate adversario exhibeantur, & hoc casu  
 adversario edenda, an verò eo ignorante id fiat, & hoc ca-  
 su posteriore sententiam sequuntur. Marant. specul. aur.  
 part. 6. tit. de Edit. act. n. 58. Ripa ad d. l. 2 C. de edend. n.  
 11. Decius ibid. n. 20. Nos negantium sententia subscri-  
 bimus. Nam hujusmodi allegationes pro informatione  
 judicis tantum exhibentur: quæ tamen parum aut nihil  
 profunt, si factum, ex quo jus oritur, non sit antea in actis  
 sufficienter deductum & probatum. Judex enim secun-  
 dum allegata & probata judicare debet. *L. illicitas §. ve-  
 ritas. ff. de Offic. Præs. id.* Accedit, responsa sæpè ob signata  
 porrigere litigantes, atque sic ad externos JCTos mittere,  
 quorum arbitrio relinquitur an ea aperire & inspicere ve-  
 lint: nam aliquando ea non resignata actis iterum addi, &  
 ex his solis sententiam dici, notat Feltman, *in observatio-  
 ne singulari libello de feudis annexa*, maximò argumen-  
 to, quod ea Responsa de actis causæ non sint, nam ea cuncta  
 judex rimari debet. Barbosa ad L. 9. C. de judic. n. 1. Ar-  
 gumenta obstantia refutavit Feltman. d. l. quò lectorem  
 remittimus

## §. XLVII.

Restat, ut de EFFECTU & Parere sententiam adjiciamus  
 nostram



nostram, quò pertinet illustris quaestio: *An, si partes responsa quadam ad acta producant, iudex secundum eorum tenorem pronunciare teneatur?* Pro affirmativa sententia facit, quod partes intentioni satisfecerint suæ; consuetudinem per duos vel plures mercatores celebres probando, cum in ore duorum vel trium testium omnis consistat veritas, quod non solum Stat. Hamb. SS. Literæ sed & *part. 1. tit. 18. art. 2.* comprobant. Conf. Venerand. Dominus Parens, Senator Hamburgensis gravissimus, *d. Tr. von einer zu Rechte beständigen Gewonheit.* quem alias sub titulo consuetudinis legitimæ adduximus, *Tit. XVII. n. 2. Mynsing. Cent. 6. Obs. 34. n. 4.* Accedit, quod JCtorum Responsis credatur, & non raro secundum ea pronuncietur in iudiciis; nihil verò obstare, cur non eadem fides adhibeatur mercatorum fide dignorum responsis.

## §. XLVIII.

His tamen non obstantibus, negativam verioremi existimo. Ad primum enim respondetur, verum quidem esse, plenam fidem tribuendam duobus testibus idoneis, sed ita demum, si dicta juramento confirmant, responsa verò mercatorum regulariter non sunt testimonia judicialia, nec juramento solent roborari.

## §. XLIX.

JCtorum responsa quod attinet, majorem quidem ratione effectus in plerisque illis non tribuo auctoritatem, quam mercatorum consiliis. Enim verò adhuc gravis est quaestio, *An iudex necessario sequi teneatur in iudicando Responsa prudentum?* Arridet mihi distinguendum opinio. Aut enim pars proprio motu responsum impetrat; aut iudex



dex ad sui informationem; aut acta à judice, desiderantibus partibus, pro concipienda sententia transmittuntur. Primo casu planè non stringit judicè prudentium responsum, juxta §. 96 *Rec. Imp. de A. 1654.* ibi solche consilia aber weder in referendo, noch votando Ziel oder maass geben/ noch/so viel das factum belanger/einigerley weise attendiret werden sollen. Nec secundo casu illud sequi tenetur judex, cum suæ informationis causâ idem experierit. Quod si ergo illius Responsi rationibus se non convinci viderit, nihil obstabit, quominus vel ad alios prudentes acta transmittat, vel ipse aliam sententiam concipiat. Si verò ad requisitionem partium transmittantur acta, vel ex officio citatis partibus pro concipienda sententia, judicem præcisè illam sequi & eandem, prout concepta est, publicare teneri; & si partes se gravatas sentiant, ob sententiam vitiosè conceptam appellationis beneficio uti debere, docent Blum. *Proc. Camer. Tit. 46. n. 20.* Renneman. *de Transmiss. actor. cap. 13. n. 1. usque ad 8.* Ast alii, quibuscum facio, licet concedant, judici non esse integrum, à consiliis & responsis sine justa & urgente causa pro lubitu abire. *Mev. part. 2. Dec. 261. n. 4. & ad jus Lub. part. 2. lib. 5. tit. 9. art. 2. in addit.* ea tamen judicem consulentem sic non constingere putant, quin, deprehenso errore, ab iis recedere valeat. *Mev. d. Dec. 261. n. 6. & seqq.* Brunnem *de Proc. fori. C. XXVII. n. 11.* Berlich. *part. 1. concl. 59. n. 26.* ubi generaliter concludit, judicem consilium Sapientum seu Collegii alicujus juridici, mutare, corrigere & emendare posse, imò etiam, illud omninò sequi, non adstringi, sed aliam sententiam, etiam consilio non conformem, ferre valere. Quæ tamen sententia sic limitatur, nisi partes in extraneum judicem



dicem consenserint. *Mev. part. 3. Dec. 231. ubi tradit,*  
quod, si sententia à peritis necessariò petenda fuit, &  
hoc neglectum, nullitas committatur.

§. L.

Ex his infero, si iudex Prudentum Jctorum con-  
silia sequi non tenetur, cum tamen Jctorum de iure re-  
spondentium publica sit auctoritas, & in plerisque Aca-  
demiis non solum Collegium juridicum, sed & quilibet  
privati Doctores jurare teneantur, se justitiam sanctè  
administraturos, multo minus obstrictus erit, secun-  
dum Responfa mercatorum privatorum nec publicè  
auctoratorum concipere, & conceptam pronuncia-  
re sententiam, *Parere* enim testantur solum de actibus,  
ex quibus consuetudo colligi possit, quò facto, Jcto-  
rum est, consideratis actum circumstantiis, judicare, an  
consuetudo legitima sit nec ne, nisi mercatores *Parere*  
juramento confirmare velint, tunc enim instar testimo-  
nii judicialis forent, & naturam *Parere* amitterent.  
Juvabit de effectu horum Responsorum audire Vene-  
randum Dominum Patrem, qui in *d. Tr. tit XVII. §. 8.* se-  
quentem in modum differit: *Es folget aber hiraus nicht/  
daß / wie einige in den irrigen Wahn sehen / wenn ein Kauff-  
mann ein Parere in einer Sache / so die Kauffmannschafft  
angehet / mittheilet / ein Richter schuldig sey / die Urtheile in der  
vorhabenden Sache darnach einzurichten. Angesehen die  
Parere der Kauff-Leute nicht weiter gehen / als daß sie bezeugen /  
daß in dergleichen Sachen; als gegenwärtig gescriitten  
wirdt / so viele actus von vielen Jahren hero vorgegangen /  
daß darauß ein rechtliche Gewohnheit abzunehmen. Worauff*

auff



auff dann nicht denen Kauffleuten / sondern denen Reches-  
 Gelehrten zukömbe / nach denen Umständen solcher actuum,  
 wann sie von denen Kauffleuten / als Zeugen Eydlich bestär-  
 cket / zu urtheilen / ob dieselbe actus eine rechtliche Gewonheit  
 machen oder nicht. Inmassen dieses kein verständiger Kauff-  
 mann / der die in diesem Tractat enthaltene Gründe einer  
 rechtlichen Gewonheit anseheth / und begreiffeth / in Abrede seyn  
 wird. Daher dann die *Parere* der Kauffleute / weil sie / wie aus  
 vorhergehenden erscheinet / auff ein bloßes Factum ein-  
 gerichtet werden sollen / nicht mehr den Nachdruck ha-  
 ben / als die instrumenta notariorum über einige Zeugens-  
 Kundschafft ertheilet. Massen die Kauffleute / falls ihr Zeug-  
 niß angenommen werden soll / auff Erkandniß eines Ge-  
 richts über die Gewonheit eydliche Aussage thun müssen.  
 Testibus enim non creditur nisi juratis, daß ist / es wird  
 keinen Zeugen Glauben gegeben wenn sie nicht eydliche Aus-  
 sage thun. Wiedieses aus denen Rechten bekandt / und in  
 specie verordnet in Stat. Hamb. p. 1. tit. 28. art. 28.

§. LI.

Sæpè etiam evenit, ut actor *Parere* ad acta produ-  
 cat, cui reus diverso in eadem causa respondeat, eodem  
 planè cum Jctorum responsis fato. Ne dicam, quod de  
 controversiæ statu perrarò inter partes convenia, ut actor  
 non rarò aliud, aliud reus proponat responsuris mercato-  
 ribus factum. Quà de re audiamus Andream Leserum,  
 virum de rebus mercantilibus insigniter meritum, in pec-  
 scripto, cambii quæstionem egregiam concernente, pag.  
 3. ubi ait: Viele *Parere* werden offters ohne genus same Er-  
 fahrung



fahrung in dieser oder jener Handlung: ohne der Sachen  
 die etwa vorgelegt wird/ vollem Begriff und reiffer Erwe-  
 gung aller Umstände: endlich ohne zulängliche Kundigkeit  
 der in vielen Stücken ganz sonderbarren Handels-Rechte/  
 bloß in den Tag hinein gezeichnet/ daß mehrmahlen dabey  
 eintriffi/ was die Lateiner sagen: oscitante uno, oscitante  
 & alter. Stylo mercatorum non semper credendum  
 esse, cum mox albus sit, mox niger, imprimis in assicura-  
 tionis materia, ex Benev. Straccha notavit Rulant. *Consil.*  
*singul. de asscur. premio non solut.*

§. LII.

Taceo, quod homines sint mercatores, qui favori sæ-  
 pè indulgeant, planè uti nec ipsi Jureconsulti (collegia  
 JCrorum excipio) aliquando à bonæ mentis impedimen-  
 tis h. e. affectibus, immunes deprehenduntur, ubi respon-  
 sum. s. consilium ab iis fuerit petitum. Sic ex Johanne  
 Eichardo notavit Joachim. Mynsing. *multum inconsulen-*  
*do affectioni, inimicitie, gratie, ne dicam etiam interdum*  
*pecunia dari.* Sivè ut H. Grøtius, magnum illud in lite-  
 ris nomen, in *Proleg. §. 38.* loquitur: *Non pauca eorum*  
*(responforum) magis ad gratiam consulentium, quam*  
*ad equi bonique naturam composita inveniri.* Add. Hillig.  
*ad Donell. L. 26. c. 2. L. A. Hartm. Pistor. p. 3. q. 20. n. 25.*  
*Cravett. de antiqu. temp. p. 1. §. propositum n. 48. Arthur.*  
*Duck. L. 1. c. 8. §. 12. Cævall. pref. opin. comm. n. 55. Phil.*  
*Matth. Conf. Marp. Vol. 1. Conf. 31. n. 17. Thesaur. pref.*  
*Decis. p. 3. Luther. ap. Seckendorf. L. 2. de Lutheran. Sect.*  
*6. §. 8. p. 25. J. B. Card. de Luc. Tr. de judic. disc. 35. n. 7.*  
 & 76. Invidenda cæterum: laus est, quam tribuit Elberto

G

Leoni-



Leonino H Grotius lib. 7. Hist. Belg. ad A. 1598. his verbis: *Elbertus Leoninus in umbra studiorum quondam educatus, & ante pacem Gandavensem regiarum partium minister, tunc summus Geldriae juridicus, consilii publicis immoriebatur; homo naturâ consecutus, quo veterum magistrorum præcepta nituntur; ut affectu penè omni vacaret adeò quidem ut partes quoque non studio ullo, sed quia sic invenerat, sequeretur.* conf. Magnif. Dn. Hertius de jurisspr. Univers. Sect. I. §. 41. inf.

§. LIII.

Cum hæctenus dicta egregiè illustrent verba sæpe allegati Savarii in dict. præfat. non possum non quin ea adjiciam ait enim: *J'ay pris soin, autant qu'il m'a été possible, que les faits fussent établis sur les pièces; que les moyens, & les raisons de toutes les parties y fussent exactement expliqués, & que les questions résultantes des contestations des parties fussent proposées par les parties mêmes, à fin d'y donner mon avis separement sur chaque question, & pour éviter la confusion & l'obscurité ayant remarqué, que la pluspart des memoires sur les quels l'on demande les PARERES ou AVIS des Negociants, & Banquiers sont dressés sans ordre sans proposer les véritables moyens & raisons des parties, & quelquefois avec tant de deguisement, que dans une meme contestation l'on y a trouve des Pareres & avis directement contraires, quoique signés par les memes negociants, parceque les parties avoient posé le fait d'une maniere favorable a leurs interest, sans s'attacher*



*s'attacher aux véritables circonstances, qui servoient a la  
decision. Ainsi l'on ne doit pas s'étonner si  
les juges de ces Procès n'ont point en egard  
a ces pareres. C'est la raison pourquoy jay deman-  
de, que les memoires, sur lesquels s'avois a donner mes  
avis, fussent exacts, préférant la verité a l'intérest de  
ceux, qui me consultoient, ne voulant pas trahir par un  
avis flatueux, établi sur un fait supposé, qui n'auroit  
servi, qu'a les embarquer, ou a les entretenir dans un  
méchant procès.*

§. LIV.

Firmiter itaque concludo, mercatorum responsa  
f. *Parere* ad acta producta nihil quicquam movere pos-  
se judicem, ut secundum eorum tenorem pronunciet  
sententiam, nisi juri Naturali sint conformia, aut per  
modum testimonii judicialis dentur, quod tamen regu-  
latiter fieri non solet.

§. LV.

Non desunt tamen alii effectus, & quidem insignes,  
qui mercatorum Responsis tribui queant, ducto argu-  
mento à Jctorum Consiliis, quibus in plerisque equipa-  
rantur *Parere*, ut inter alios docet supr. alleg. Joh. Martin  
Vogt JCr. & Advocat. Francof. *de Cambiis* quando *in th.*  
s. circa finem ait: *Zu Franckfurt am Mayn haben die  
Herrn Handels/Leute zwar keinen absonderlichen Magistrat,  
wie oben erwehnet/ der die zwischen ihnen fürfallende Streis-  
tigkeit sua autoritate ex orcern dörfte/ bemühen sich aber una-  
erdesen*



terdesse n selbstn solche in der Enge absque strepitu iudicii  
 und ohne Vermähung des Raths per modum compromi-  
 si, oder da solches nicht seyn kan/per modum deputationis  
 vel Commissionis ihre abhelfliche Maaszugeben: und weil  
 die Harn Deputisten oder Commissarien vielmahls des  
 Kauff-Styli nicht allerdings kundig / so suchen sie dieselbe  
 durch unparteiliche Parere oder Kauffe: Bekhrung NB.  
 die daselbst bey den Kauffmans: Händeln eben  
 das jenige effectuiren was sonstn in rechtlichen  
 Streitigkeiten die *Responsa juris & prudentum*, de sty-  
 lo & consuetudine zu certioriren / und durch information  
 also die Sachen fur und an sich selbst uffs möglichste zu befor-  
 dern. Videamus de singulis.

## §. LVI.

Primus itaque effectus est, quod iudex ignarus con-  
 suetudinis ac observantiae, quæ obtinet inter mercatores,  
 ex officio teneatur consulere mercatores fide dignos, re-  
 rumque peritos. v. *Mev. part. 2. Dec. 377.* ubi ait. *judicem  
 ex officio pro lite abbrevianda de consuetudine inquirere de-  
 bere, & ibid. n. 6.* addit rationem: *quandoque IN XVII con-  
 suetudinis notoria is est effectus, ut ubi iudici per suam in-  
 formationem constiterit, statim iuxta eam procedat.* In-  
 formationem itaque iudicis omittam, si pars alterutra per  
 sententiam ejus laesa sit, justum præbere gravamen appel-  
 landi non dubito. *cont. omnino Dn. Seryk. de Camb. liter.  
 accept. cap. Ult. §. 2. Myler. ab Ehrenbach de Princip. Imp.  
 Rom. Germ. part. 2. cap. 58. §. 10.* Quin imò iudicem non  
 requisito Mercatorum Parere, contra consuetudinem sen-  
 tentiam



sententiam ferentem ad interesse conveniri posse. conf. Gail.  
lib. 1. Obs. 36. n. 12. seqq. lib. 2. Obs. 31. n. 2. Dn. Parens d.  
Tr. tit. 1. §. 3. & tit. IV. §. 4.

§. LVII.

*Quid si partes velint acta cum prudentibus commu-  
nicari mercatoribus, an iudex poterit resistere, & ipse  
non requisito mercatorum Parete, sententiam ferre?*  
Quamvis regulariter iudex non cogatur invitus, acta co-  
ram se à litigantibus producta communicare cum pru-  
dentibus, sed possit pro potestate à jure sibi datà juxta su-  
um caprum ipsemet vel invitis partibus judicialem con-  
cipere, & conceptam ferre sententiam Heeser. *de actis  
judic. Cap. IV. n. 31.* add. Berlich. *p. 1. concl. 59. n. 12.* Jacob.  
Blum. *de Proc. Cam. tit. 27. n. 139.* Nihilo tamen minus  
iudicem invitum ad communicationem actorum cum  
mercatoribus prudentibus & peritis teneri puto, si sit  
ignarus juris vel consuetudinis: cum mercatorum lites  
non tam ex regulis juris communis, quam observantiâ isti-  
us loci in quo lis moveretur decidendæ sint, & mercatores  
tam propter negotiationum utilitatem, pactio-  
rum per-plexitatem, contrahentium difficultatem, tum verò  
locorum conditionem, temporum & rerum circumstan-  
tias, à jure Communi sæpiusculè divortium faciant, &  
per actus aliquot singulares in sua Bcersa consuetudinem  
introducere possint, quos vel in quavis consuetudine pro-  
banda sufficere, docet Wesenb. *ad ff. sub. tit. De LL. n. g.*  
Unde plerosque ex ipsis mercatoribus, suomet judicio  
magis quam juris consultorum & Theologorum senten-  
tiæ acquiescendum, arbitrari testatur Sigismund, Sca-



cica Tract. de Commer. & Camb. Quæst. II. §. 20. ubi in sequenti §. rationes addit, quare Doctores celeberrimi & ingenio sublimes materiam Cambiorum non apprehenderint his verbis: *nimirum quia negotiorum, forique experientia caruerunt: dein, quia contractus cambiorum pro majori parte consistit in pluribus ratiociniis, ut patet ex his, que scripsi infra quæst. 5. sed inutile, & valde laboriosum est, hominem literatum in ratiociniorum causis occupari c. 8. inutile dist. 88. & dulce & leve est mercatoribus, cum ex illis occupationibus, & ratiociniis lucrum questumque hauriant, cujus lucri causa cambiorum negotiationem, tanquam novi Alchymista invenerunt. Alii enim Alchymista mendacem, & damnosam sequuntur Alchymiam; hi verò mercatores veram, & utilem sectantur; Nam illi sunt pauperes ut in extravag. Joan. XXII. incipienti spondent, quas non exhibent divitias, pauperes alchymista; isti sunt divites, præsertim quando Regibus & Principibus noxio subditorum casu Mars arma administret. Hæc vir ille de jure mercatorum insigniter meritis.*

## §. LVIII.

Cui consequens, à negato mercatorum *Parere* tanquam gravamine sufficienti, appellari posse, æque ac à recusata actorum ad Collegium Jctorum transmissione.

## §. LIX.

Porro sequitur, ante consilia prudentum mercatorum, si ea petita sint, & causa dubia fuerit, sententiam  
latam



latam iustum appellandi gravamen sive Legitimam con-  
querendi causam præbere.

§. LX.

Responsa Jutorum id operari, ut litigantes non  
tantum à calumniosa, sed & temerariae litis præsumtio-  
ne liberentur, & probabilem litigandi causam habere  
credantur, in tantum, ut quamvis in lite succumbant,  
ab expensis tamen liberentur, etiamsi non integri collegii  
sed duorum tantum Doctorum, vel unius etiam sed  
excellens responsum pro se habeant docet Dn. Stryk. in  
*Usu Mod. ad rit. de Orig. jur. §. 10. cum alleg. ibi Practicis.*  
Modo consultor non tantum eruditionis laude, sed &  
conscientiæ integritate polleat, & factum legitimè nar-  
ratum fuerit ab impetrante responsum, alioqui non libe-  
rat ab expensis Mev. *Consil. 110. n. 230.* Eundem effe-  
ctum Responsis mercatorum, vulgò *Parere dictis*, ad-  
scribere nullus dubito. Hic subsisto: Quod superest:  
quò Duce primas Lineolas ducere ceppi eodem quoque  
novissimas adjiciam. DEO T. O. M. pro concessis  
viribus, in debita humilitate gratias persolvens  
immortales.

TANTVM.

*Parere.*



*Apendicis loco libet subnectere formulas duas,  
non ita pridem editas, ut ex illis indoles & Pa-  
rere quasi oculis cernatur, lectori super iis libero  
judicandi arbitrio relicto.*

### Parere.

**I**n Rauffmann zu Leipzig meldet sich durch  
seinen Diener / am Donnerstage in der Zahl-  
wochen / wegen eines andern Leipziger Rauff-  
mannes bey einem Hamburgischen Rauffmann  
an / umb Rthl. 1061/17. Cour. Geldt / der Ham-  
burger ist prompt zur Zahlung / gestalt er dann  
dem Leipziger gleich per Cassa bezahlt Rthl. 350.

und gibt ihm eine schriftliche Assignation über den übrigen Saldo  
als Rthl. 711. 17. / bey einem andern Leipziger Rauffmanne zu  
empfangen. Hierauff lässet der Leipziger dem Hamburgischen  
Rauffmanne durch seinen Diener wissen / daß der andere Leipziger  
Rauffmann bey Präsentierung der Assignation sich mit eben selbi-  
gen Tages seyendem Post-Tage entschuldiget / der Hamburger  
läst dem Leipziger Rauffmann durch eben selbigen Diener (durch  
den alles obgemeldte gepassiret) wissen / Er solte seinem Herrn  
vermelden / daß so ferne ihm die Assignation der Rthl. 711. 17. nicht  
anstande / so möchte er nur bald wieder kommen / alsdann wolt Er  
ihm sein Geld per Cassa bezahlen / danner wüde dasmahl nicht so  
lange / als wohl vorhin geschehen pffegte / zu Leipzig substituiren /  
besondern am Sambstage in der Zahlwoche ohnfehlbar abreisen /  
Hierauff lässet der Leipziger dem Hamburger nicht das allgering-  
ste wissen / besondern anstatt / daß er sein Geld solte eincaßiren  
lassen /



